



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 16. De proborum & improborum Sacerdotum morte.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

ille Religiosus, hoc modo qui vitam instituit
 quique sibi proponit, multa esse licita secula-
 ribus, quæ Ecclesiasticos fugere par sit, quodque
 exiguum & parum in laico videtur, in statu Ec-
 clesiastico grauissimum & singulare esse.

Tanto, inquit Isidorus, *maius cognoscitur esse* Lib. 2. de
 do summo
 bono. c. 18.
peccatum, quanto qui peccat maior habetur: ad
 merita enim & statum peccantis vitium com-
 pensatur; & sæpè quod paruis facilè dimitti-
 tur, in magnis acerrimè vindicatur & castiga-
 tur. Hæc cogitate Religiosi & Sacerdotes; omnia
 vitiorum genera relinquite, virtuti incumbite,
 honori vestro consulite, sanctæque viuite, & co-
 gitate vestra delicta grauiora esse quàm aliorum,
 maiusque promereri supplicium; quod enim in
 secularibus non nisi simpliciter peccatum est,
 maximum in vobis sacrilegium dici potest.

CAPVT XVI.

De proborum & improborum Sacerdotum morte.

DE Iustorum morte & fine loquens Psal-
 tes, ait eam in oculis Domini pretiosam
 videri. *Pretiosa in conspectu Domini mors*
Sanctorum eius. Hæc de morte honorum Sacer- Psal. 118.
 dotum cecinit vates, qui cum Sanctorum & iu- Mors iu-
 storum instar vixerint, dum Deo præsentabun- storu pre-
 tur, & hoc mundo egrediètur, benignè ab eodè tiosa coiã
 recipiètur, & æterna beatitudine donabuntur. Deo.

Dicere solebat Sapiens, *Timenti Dominum*
bene erit in extremis, & in diebus consummationis Eccles. 1.
illius benedicetur. De Sacerdotibus hoc sine du-
 bio prædixit, ac volebat ostendere, eos qui ve-
 iusti viuunt, & Deum timent in hac vita, tan-
 dem benè habituros, & benedictionem illis cir-
 ca vitæ finem referuari.

Gg A facie

Isai. 57.

A facie malitia collectus est iustus, veniat pax & requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directi-
ne sua, ait Isaias: Oraculum veracissimum & Sa-
cerdotibus consolatio, eos dum honestè vitam
instituunt, à Deo mundi huius ærumnis educi
quoniam verò virtutem secuti sunt, & vitium
detestati, ideo quiete donandos, pace beatos
& omnigena voluptate ac deliciis cõplendos.

I. Tim. 3.

Apostolus Timotheo in vitæ huius labore
& certamine omnium additurus, præmiũ quod
in altera nos vita manet, proponit dicens, Qui
bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt.
Est hoc Sacerdotibus solatium, se si Deo fidele
obsequium obtulerint, & obedierint, æterna
mercede donandos; vita siquidem malis & ca-
lamitatibus referta, morte iucundissima & gau-
diis repleta compensabitur.

Iib. 10. Mo-
vbi. c. 21.

Ad vesperum, inquit Gregorius Magnus, ori-
tur fulgor Sacerdoti iusto, quia in occasum suum
cognoscit claritatem: atque ideo dictum, Timentis
Dominum bene erit in extremis. Cum verò me
Deus, ad sublimem hanc dignitatem evocaris,
fac ut iustus sis Sacerdos, atque ut verus Ec-
clesiasticus vivam, ut in die mortis, qui die-
rum meorum futurus est vesper & vite
nox, egregium illud iubar & misericordie tue
fulgorem in anima mea exoriri videam.

Io 3. c. Isai.

Ceterum insignis quædam punitio est & ca-
stigatio, dum boni Sacerdotes ex hoc mundo
morte auferuntur. Vnde Basilius, Interea quæ
comminatur Dominus, est abiectio Presbyteri sine
senioris, quod ex eius præsentia non mediocre emu-
lumentum in alios resiliat. Verissimum enim est,
quod quemadmodum sanctorum Religiosorum
& Sacerdotum præsentia mundo imprimis est
necessaria.

DE BONIS SACERD. MORIBVS. 467

necessaria, ita mors illorum & interitus noxius
fit, magnamq; Christianæ reip. calamitatē affe-
rens: atque ideo cū Deus populum aliquem
castigare volnerit, iramq; suam exerere, Sa-
cerdotes surripere solet & auferre,

Jeremias Propheta Iudææ calamitatem &
desolationē deplorans, inter cetera cōqueritur
quod suos illi Sacerdotes abstulisset Deus; *Abstu-
lit magnificos meos Dominus de medio mei. vocauit T. breu. 1.
aduersum me tempus vt contereret electos meos.*

De Sacerdotibus eo loco loquitur, mihiq; ar-
gumentum suggerit dicendi, nullum mundo
accidere malum posse grauius, quā bonorum
Sacerdotū mortē, quorū mors omnibus lacry-
mas deberet excutere & est reuera deplorāda.

Alius quoque Propheta Ierosolymam de-
plorans, eiusque sortem lugens, deflet imprimis
quod Prophetas illi & Sacerdotes Deus aufer-
ret, *Ecce dominator Dominus exercituum aufert à
Ierusalē & à Iuda validū & sortē omne robur panis
& omne robur aque. sortē & virū bellatorē, iudicē &
Prophetā, & ariolū & senem.* Et sanē insignis quæ-
dam calamitas est & lacrymis expianda, cū De-
us ad peccatorum nostrorum castigationem,
Sacerdotes & Religiosos suos aufert, tunc si qui-
dem omnia direptioni & expilationi patent.

Sampson de inimicis vltionem sumpturus,
columnas, quibus cænaculum in quo confide-
bant, innitebatur, magna vi concussit, vt domum
vniuersam ad terram deiecerit & omnes Philis-
thinorum Principes ruina inuoluerit, *Cōcussisq;
fortiter columnis cecidit domus super omnes Princi-
pes, & ceteram multitudinem que ibi erat.* Idem *Iud. 16.*
omnino Deus facere solet, inimicos enim suos
id est, peccatores vlturus, Sacerdotes, id est co-
lumnas

lumnas orbis, ad terram deiicit; quibus basilis
sublatis, omnia quamprimum corruant ac pel-
sum eant necesse est.

4. Reg. 2.

Elifæus cum magistrum suum Eliam curru
gneo abripi cerneret, quem verum, magnum &
sanctitate eximium, & vniuerso Israël vtilem
nouerat, clamauit lacrymans, *Pater mi, Pater
mi, currus Israël & auriga eius*; itane te abire,
itane furripi? quid mundo fiet. Tum vero
Christiani, dolendum dum Sacerdotes probi &
Religiosi ex hoc mundo tolluntur, eorumque
mors ploranda est, qui dum viuerent currus Ec-
clesiæ, vrbium directores, reip. capita, parochi-
arum pastores, & diœcesum Præsules erant
& regnorum conductores.

De bono
mortis c. 8.

Ambrosius de morte iustorum loquens, ait fe-
ralem illam Parcā tot cædibus infamem, ho-
minum carnificem & nouercam, Sacerdotibus
matrem esse, omnis tranquillitatis portum, tem-
pestatibus & procellis eos ereptos recipien-
tem. Dicere volebat, mortem bonos Sacerdotes,
mundi tempestatibus & syrtibus educere: & in
quietis portu collocare.

Homil. de
Barlaam
Mart.

Mors non
nisi som-
nus est.

Psal. 33.

Basilius quoque dixit, *Somnus iustis mors est,
imo magis migratio ad vitam meliorem*. Sumite
igitur animos Sacerdotes, mortem non perhor-
rescite & sancto huic Præsuli credite, asserenti
mortem non nisi somnum quemdam esse, & ex vita
ærumnosa ad æternam & tranquillam profectionem.

At sicut bonorum Sacerdotum mors beata &
felix est, ita improborum funesta & misera; ce-
statur hoc Psalmodographus, *Mors peccatorum pes-
sima*. Quod vaticinium non tam ad omnes in ge-
nere impios spectat, quam ad Sacerdotes, qui ius-
to Dei iudicio, sicut impiam duxerunt vitam,
ita

ita eandem morte infausta & tetra terminant.

In Apocalypsi de omnibus omnino iustis dictum est, *Beati qui in Domino moriuntur, amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Apoc. 14.

Locū hunc à contrario exponens, dico, Infelices Sacerdotes, qui in Dño & Dei gratia nō moriuntur, sed in exitiū ruūt peccatis & vitijs cooperti.

Iob de perfidis quibusdam impostoribus loquens ait, *Moriatur in tempestate anima illorum, & vita illorum inter effeminatos.* Iob. 36.

Ad Sacerdotes illum hic crediderim respexisse, qui cum effeminate & in medijs delicijs vixerint, in tempestatibus & animi inquiete moriuntur; mors siquidē & exitus illorū nō nisi bellū & tēpestates sunt.

Nadab & Abiu duo veteris legis Sacerdotes, Magni Aaronis filij, quōd ignem alienum & profanum in Sacrificio adhibuissent, & mode- Leuit. 10.

stiam debitam non seruassent, igne cælitus dimisso deflagrarunt, tam funesto & ferali interitu tam improbæ vitæ iniquitates expiantes, *Egressusque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.* Horrendum exemplum, sed notatu dignum, quo docemur, Sacerdotes & Religiosos, qui sceleratè vixere, iusto Dei iudicio morte violenta sæpe hinc abripi, quōd in altera puniantur & castigentur.

Chore, Dathan & Abiron, qui aduersus Aaronis Sacerdotium conspirarant & seditionem Num. 16. in populo concitarant, viuos terra absorbuit & ad inferos demisit. Mosaicæ legis Religiosorum hic feralis interit⁹ ac tartarea sepultura nos docet, Sacerdotes qui malè viuunt, sæpe malū finē nancisci, & inaudito mortis genere occūbere.

Heli quoque ob filiorum suorum improbitatem, omnem familiam suam euersam vidit, Hoc 1. Reg. 2.

Filiorum
Heli fini-
stra mors,

autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filijs tuis, Ophni & Phinees, in die vno morientur ambo. Præfagiens hæc prædictio ostendit Sacerdotes, cum iniquè viuunt, Deum omnem eorum familiam extinguere, & horrendo saepe genere mortis in eos animaduertere.

Isai. 3.

Va impio in malum, exclamat Propheta, retributio enim manuum fiet ei. Vaticiniû hoc omnes Sacerdotes respicit, sed præsertim Sacerdotes sceleratæ vitæ qui ob lasciuia & delicta sua, filij sunt maledictionis, & tandem aliquâdo operum suorum mercedem recipient; maledicti à Domino, & finis eorum non nisi sinister & malus.

1^o. 3. in acta
Apost.

Chrysostomus idcirco quodam loco horrendam sententiam pronuntiauit, Non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salui fiant, sed plures multo qui pereant. Terribilis sententia, probabilis tamen, quæ docet, quod cum Sacerdotij magnitudo & excellentia supereminens, & peccata eorum proinde etiam grauiora sint, plures eorum damnari videantur, & vt dissolutè vixerunt, ita etiam infelicitè moriantur.

In medita-
tione.

O Durus & durior casus, exclamat Sanctus Anselmus, heu, perdidit Sacerdos beatitudinē ad quam factus est, & inuenit mortem ad quam non factus est, quod peccatis suis ascribat necesse est. Durū est profectò & terribile felicitatē amittere, & in laqueos mortis incidere. Vos Sacerdotes, Religiosi & omnes Ecclesiastici, hæc respicite, infortunium hoc auertite, virtuti studete, bonis operibus incubite vitæ honestatē sectemini, status vestri honori cōsulite, vitia & dissolutionē fugite; adeoq; sanctè vitā instituite, vt sanctè ac feliciter etiā mori valeatis; quælis enim vita, talis & mors esse solent.

F I N I S.

INDEX